



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

330. An, si imminente ultimâ die temporis ad eligendum præfixi, maior pars capituli renuat eligere, adeóque ius eligendi sit penes minorem partem, minor pars teneatur expectare maiorem partem, usque ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

*in c. his quibus. h. t. Garc. loc. cit. num. 17. citans Selv. de benef. Rebuff. Mandof. Verumque id est, etiamsi ob propriam culpam in illud inciderint, modò tamen (dum illud impedimentum per eos intollibile, tollibile tamen est ad eorum instantiam per alium; v. g. quia à censura absolvere potest) in mora non sint, quò minus impedimentum illud tollatur per alium, v. g. negligendo petere absolutionem à censura; currit enim aliàs illis tempus à tempore hujus moræ seu negligentia commissa. cit. c. quia diversitatem. Quinimò non currit tempus, etsi electores tollere possint, non tamen debeant impedimentum; v. g. dum Superior præcepit Electoribus, ne eligant, priusquam ipse eos admonuerit (secus est, si justè solum ordinavit, ne sine ejus petita licentia eligant; hanc enim petere possunt ac debent) licet enim tunc electores possent follicitare Superiorem, ut eos admoveat habendæ electionis, ad hoc tamen non tenentur. Pass. cit. c. 13. n. 23.*

2. Respondeo secundò: dum impedimentum est temporale, durans tantum per dies aliquot, sive incidat in principio, sive in medio, sive in fine temporis præfixi ad eligendum, hi dies impediti & inutiliter subducendi sunt à tempore præfixo, quod non est nisi dierum utilium, conscientium tres menses, qui dies utiles omnes conjungendi sunt, diebus illis inutilibus expunctis, quasi non fuissent. Pass. num. 24. ex Bald. ad c. ne pro defectu. h. t. v. g. dum excommunicatus impendit 24. dies, ut absolveretur ab excommunicatione (habendi enim sunt hi dies pro diebus justè impediti, & involuntarii. cit. c. quia diversitatem, de concess. præb. Pass. num. 26. Garc. loc. cit. c. 2. num. 18. Paxjord. loc. cit. num. 27.) vel per sex septimanas litigârunt electores (est enim & illud tempus justè impediti. Garc. cit. c. 2. num. 19. citans Rebuff. Lambert. & alios) hi inquam 24. dies, vel sex septimanae junctæ à diebus utilibus trimestri toti superaddendæ sunt; v. g. si trimestre ceperit primâ Januarii, jam duret ad vigesimam quartam Aprilis. Porrò dum electores allegant impedimentum, onus probandi illud, uti & quòd diligentiam ad removendum illud adhibuerint, & removere non potuerint, incumbit illis. Felin. in cap. ex transmissa. de rescript. Garc. loc. cit. num. 24. Anell. ad Abb. c. fin. de elect. Pass. num. 28.

*Quæstio 330. Num si imminente termino, seu ultimâ die temporis ad eligendum præfixi, major pars Capituli renuat eligere, adeoque jus eligendi sit penes partem minorem, ut constat ex dictis supra, minor pars teneatur expectare majorem partem usque post prandium istius diei?*

**R**espondeo: vocandis legitime vocatis (posito quòd vocati non sint pro hora pomeridiana) si major pars non venit manè, minor pars non tenetur expectare ultra horam solitam, nempe matutinam, in qua secundum jura habenda est electio. Secus tamen est, ubi major pars venit manè ad Capitulum, sed negat, se velle tunc eligere, aut post adventum recedit, animo eligendi post prandium, de hoc se explicans: vel etiam si recedat sine alia sui explicatione, absolute dicens, se nolle eligere (per hoc enim non censetur cedere juri suo, nec dicit per hoc, se neque istâ, neque illâ aliâ horâ illius diei velle eligere; hoc namque si diceret, posset minor pars istâ horâ matutinâ procedere ad ele-

ctionem; quatinus & tunc securius adhuc fore; expectare, dicat Pass. num. 23.) cum enim tempus eligendi non exspiraret manè, standum in hoc erit iudicio majoris partis, & ea expectanda erit post prandium, & ad ultimum, post quod non remaneret commoditas eligendi de die, quia non tenetur in isto casu expectare minor pars tempus noctis, utpote incongruum, & contrarium consuetudini. Pass. ibidem.

*Quæstio 331. Num tempus præfixum à jure restringi possit?*

1. Respondeo primò: in casu necessitatis, ubi propter periculum moræ acceleranda est electio, potest Superior, v. g. Legatus Sedis Apostolicæ in Ecclesiis Cathedralibus, vel Episcopus in Ecclesiis inferioribus sibi subiectis restringere hoc tempus, & cogere Electores, ut etiam secundo mente, vel citius eligant. Laym. de Elect. q. 32. & 96. Pirh. de elect. num. 247.

2. Respondeo secundò: extra casum necessitatis, nullus Superior, nisi solus Papa, adeoque multò minus Præses electionis potest, Electoribus invidis, hoc tempus restringere; quia non potest tollere privilegium à jure, & Pontificibus concessum, juxta reg. juris. 17. in 6. indultum in jure privilegium non est alicui sufferendum. Abb. in c. cum veteri. h. t. n. 1. item in cap. cum nobis. ibid. Butr. Laym. & Pirh. ll. cit. Unde convocare potest Præses Electores ad quamcunque diem intra terminum à jure præfixum electioni; sed majore parte vocalium vel ante Congregationem Capituli, vel in eo dissentiente, tenetur ad alium diem intra illud tempus eisdem convocare. Pass. num. 34.

3. Respondeo tertio: potest tamen Præses de consensu majoris partis Capituli terminum illum restringere. Pass. loc. cit. Donat. p. 3. quæst. 6. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 16.

4. Respondeo quartò: possunt id ipsum Electores (intellige, dum major eorum pars in hoc consentit, neque opus est ad hoc consensu duorum partium præsentium in Capitulo. Pass. loc. cit. contra Peyr. loc. cit. & alibi.) terminum enim ille statutus est negligentia, ut nimirum ultra eum differre non possint electores electionem, cessante jussu impedimento, relicta tamen iis libertate eligendi infra illud tempus, quodcumque iis visum fuerit, quinimo poterunt id invito etiam Præside. Abb. in c. in causis. h. t. num. 9. Biax. p. 3. c. 4. num. 3. Pass. loc. cit. uude patet, Ordines religiosos non tantum auctoritate à postolica, sed & ordinariâ potuisse per statuta sua hunc terminum abbreviare. Pass. n. 35.

*Quæstio 332. An, & qualiter præfixo termino eligendi neglectio devolvatur electio ad Superiorem?*

1. Respondeo primò: eo termino ex negligentia permisso elabi sine habita electione, hæc devolvitur ad immediatum Superiorem. c. ne pro defectu. quod & in hoc correxit jus antiquum, v. i. jus tunc electio seu provilio in Ecclesiis Cathedralibus devolvebatur immediate ad Papam, ut constat ex c. cum dilectus. de concess. præb. v. g. in Ecclesia Cathedrali ad Archi Episcopum, modò tamen is aliàs habet potestatem confirmandi electum (ob negligentiam enim electorum jus eligendi devolvitur non nisi ad eum Superiorem immediatum, qui aliàs habet potestatem confirmandi electum, sive